

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z


XLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ejus tam arrogantes, addo etiam in ipsas voces audirem. Sed *ἄρα τις τὸν ἀλλοτρίον* & qui Præceptoribus voluit esse superior, ab omni lectione, non modo Theologica, sed etiam Philosophica, non sine ignominia remotus est. Obtulit se ad causæ cognitionem. Quia autem fatabatur suam doctrinam à Concordia anni 1563, discrepare, idè jam præjudicatum esse Scholarchæ responderunt, cum existimari non possit, Dn. Compositores, qui in vivis adhuc omnes sunt, inter ea suam mutasse sententiam. Atque ita primus istorum hominum impetus refutatus est: an aliqui sint futuri Piscatoris defensores, ipsum docebit tempus. Cæterum Dn. Brunoni, Dn. Andreas Planerus, M. Liebleri gener, successit, & XI. Junii Scholas Physicas inchoavit. Spero bonum virum fore, & nobis amicum. Fuit primum *συμφαιτῆρας* meus in patria, deinde Tubingæ primam Lauream unâ sumus consecuti, quam familiaritatem jam continuat. Sed fuit etiam Piscator amicus, qui tamen in hostem conversus est. Dabitur veniam primum festinationi, scripsi enim non satis benè affectus, deinde quod non ad singulos scribo. Id faciam proximè. Valete in DOMINO, Argentorato, XIV. Junii, 71.

Vester totus

Johannes Pappus.



XLIX.

Salutem in eo, qui unica est salus & redemptio nostra.

Spero tibi, Clarissime Vit, Domine & frater in Christo dilectissime, meas esse redditas, quas superioribus diebus, per mercatorem & senatorem hujus arbis ad te scripsi, & in iis etiam tibi, nec non ornatissimo nostro D. Flinnero, satisfactum, quod tam diu à scriptione abstinere coactus fui. Cum autem hac hora, hora 4. pomeridiana, Feriæ 3. post Pentecostes, præsentium lator, Georgius, tabellarius Augustanus, præter suum morem, profectionem suam ad vos significaret, nolui eum omnino vacuum à me dimittere. Scribo ergo denuò, & repetita hac scriptione volo, ea, quæ proximè copiosius adumbravi. Simul tamen significare volui, me his diebus, non cum parvo animi mei dolore intellexisse, inter te & D. Sturmium, nec scio quam altercationem de novo motam. Intermittere ergo non potui, quin amantè rogarem, ut de ea certi quid ad me perscriberes. Amo certe, veneror & colotrumque, & nil magis optarem, quam arctissimam inter vos animorum esse conjunctionem. Quæ & scholæ & Ecclesiæ & Reipublicæ Vestræ omnium esset consul-

fultrissima, & maximè necessaria. Rerum novarum apud nos nil est, nisi quod febriferè laboret univèrsa urbs nostra, nec est domus, in qua non inveniatur febricitans. Quid hunc communem morbum porro secuturum sit, dies dabit.

Vidi & his diebus aliquot pagellas ejus scripti, quod adornarunt Theologi Wirtenbergenses, pro excusatione & defensione sui. Bene & feliciter vale, Vir Clarissime, animoque meo charissime mi D. Doctor, & meis verbis reverenter & officiose saluta D. Flinnerum. Et, siquidem per occupationes licebit, rescribe. Raptim Ulmæ, ea hora & die, qua supra.

R. D. L

Studiofissimus

Lud. Rabus, D.



L.

Salutem in Christo Jesu.

Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater in Christo honorande. Literas tuas, heri domum reversus, accepi, quos M. Floro dedisti. Ex quibus cum intelligam, moram longiorem cum maximo periculo conjunctam, si responsum diutius extraherem, visum fuit, proprium ad te nuncium ablegare. Ac primo omnium scias, me de hoc negotio, non modo cum collegis meis, quos hinc Tubingæ habeo, sed etiam cum Stulgardianis Theologis contulisse. Idque factum est sub sigillo summi silentii, ne quid cum periculo Ecclesiæ vestræ evulgetur. Quod igitur ad D. Sturmium attinet, judicamus, nihil monendum, priusquam negotium cum M. Piscatorio expediatur. Siquidem in scripto suo de his solum agit, quæ ad officium ipsius pertinent, & controversiam hanc non attingit, quam Piscatoris lectio minatur, quæ omnia facile componi poterunt, si prius cum Piscatorio actum fuerit. De quo nobis consultissimum videtur, ut omni vos actione superseceatis, ne forte controversia resuscitetur, pie sopita. Sed cum nondum sit in numero professorum receptus, neque Testimonio aliquo à facultate nostra ornatus, consulimus, ut nulla mentione lectionis ejus facta, eum ad nos ablegetis, & eidem injungatis, ut à facultate nostra Theologica testimonium petat & vobis afferat, quod cum ab ipso factum fuerit, vos ei benigne responsuros. Quamprimum igitur ad nos venerit, de toto negotio cum illo plenissime conferemus. Nec fidem habebimus illi, nisi manu quoque sua confirmaverit, quæ illi veritatis assertio in hac parte doctrinæ cælestis, plana & perspicua à nobis præscripta fuerit. Quæ in parte si nobis fidem fecerit, testimonio digno

Aaa

gno